

2^o nullitas electionis aut praesentationis ad beneficium vel ad quamcumque Dignitatem (38);

vero, postquam eiusmodi privilegia, ac facultates omnes absolvendi a casibus papalibus revocatae, suppressae et abolitae in memorata Constitutione fuerunt, Apostolica Sedes (quae per eam Constitutionem profecto facultatem sibi non ademit privilegia denuo concedendi) quidpiam quibuspiam concesserit, ab iisdem mendicantibus scitandum erit.

(38) Nonnulla hic advertenda. Ac 1^o Simoniae reus non defenditur regula de trienniali possessione, quia expresse exceptus est, ubi dicitur; *absque simoniaco ingressu*. Neque simoniace praesentato aut electo prodest, quod confirmatio aut institutio hoc vitio caruerit; nam si in priori actu commissa est simonia, omnes actus sequentes sunt irriti. Secus tamen, si legitime electus vel praesentatus confirmationem seu institutionem simoniace obtineat; tunc enim haec sola, in qua vitium commissum est, irritatur. Quocirca si per dispensationem tollatur inhabilitas per posteriorem hunc actum contracta, opus non esset nova electione Reiffenst. (lib. 5. tit. 3. n. 265.).

2^o Nullus est actus, etiamsi in electione, quae fiat a pluribus *iure communitalis vel collegii*, unus tantum, maiori parte rite eligente, simoniace suffragium ferat. Secus tamen, si praesentatio fiat a pluribus, prouti singuli sunt, adeo ut tot sint praesentationes, quot patroni: simoniaca enim unius collatio legitimam alterius collationem non inficit. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 266.).

3^o Irrita est provisio, etsi simoniam non ipse quidem promotus, sed alter, *ipso ignorante*, commiserit: excipe, si hic in fraudem id egerit, nempe quo electum seu praesentatum ad beneficium reddat inhabilem. Schmalzgr. (l. c.).

4^o A fortiori autem irrita est provisio, si provisos, postquam scivit, pecu-

niam ab alio non in fraudem sed in favorem ipsius datum iri, non contradixerit; aut contradixerit quidem, sed nihilominus, non ignorans alium a simoniaco opere non destitisse, beneficium acceptaverit, aut etiam ante obtentum beneficium pecuniam ab alio simoniace pro se solutam ipsi solutori refuderit. Ita ex cap. *Sicut* 33. De *Simoniam*.

5^o Valida tamen erit provisio, si promotus post cognitum simoniacum alterius consilium expresse contradixerit, etsi deinde non obstante hac contradictione, *ipso ignorante*, beneficium per pecuniam reipsa obtineatur. Quod si re post obtentum beneficium cognita, pecuniam ante obtentum beneficium se inscio solutam refundat simoniaco solutori, simonia quidem se inquinat (nisi, ut plures aiunt, id *mere* ex amicitia praestet, et ne alter damnum sua causa patiat); non tamen videtur *irritationis* poenam ipso facto incurrere; hinc beneficium usque ad prolatam privationis sententiam poterit retinere. Ratio, quia effatum illud: *ratihabitio retrahitur et mandato aequiparatur*, de iis intelligendum est, quae a consensu ratificantis pendent, non vero de iis, quae ante hunc consensum plane et absolute iam sunt peracta. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 266).

6^o Beneficii privationi accedit obligatio fructus ex eo comparatos restituendi. Quod quidem valet, tum si simonia patratu sit a beneficiario, tum si ab alio, ipso beneficiario sciente et non contradicente, vel contradicente quidem, sed tamen acceptante beneficium cum notitia simoniae non obstante sua protestatione intercedentis. Ratio, quia cum nec bonam fidem habeat nec titulum, in quo ius percipiendi fructus radicetur, hos non facit suos, atque adeo restituere eos tenetur. Idque intelligendum est non modo quoad fructus ex-

3^o inhabilitas perpetua, aut ex quorundam opinione inhabilitas ad idem beneficium saltem ea vice obtinendum (39);

4^o inhabilitas ad alia beneficia post iudicis sententiam saltem declaratoriam (40).

tantes, verum etiam quoad consumptos; immo et quoad eos, qui a legitimo possessore percipi potuissent, uti communiter traditur de malae fidei possessore. Non tamen tenetur ad restituendos fructus stolae, aliarumque functionum parochialium; quippe isti non recipiuntur ceu *reditus beneficii*, sed ut stipendia officii. Vid. S. Alphonsum (lib. 3. num. 111.).

7^o Si vero simonia ab alio commissa fuerit, beneficiario ignorante, hic fructus lucratur, quamdiu in bona fide manet, non secus ac quilibet bonae fidei possessor. Cum tamen collatio per se sit invalida (nisi simonia ab alio in fraudem, ut supradictum est, commissa fuerit), ignorantia cessante restituendi sunt fructus, qui extant. Possessor enim nactus non est horum dominium nisi tantum revocabile. Schmalzgr. (l. c.).

8^o Quod si hic per triennium cum eadem bona fide in pacifica beneficii possessione perstiterit; defenditur (ut inquit Schmalzgr. ibid. n. 267.) regula de trienniali possessione, adeo ut triennio illo elapso neque fructus neque beneficium teneatur restituere. Et haec quidem doctrina nonnullis non arrisit. *Sed receptior* (ait Rigantius ad Reg. 36. Cancell. n. 232.) est in praxi contraria opinio, quod scilicet huius regulae exceptio competat proviso de beneficio, ignorantem simoniam a tertio commissam. Quam in rem idem Rigantius tum plurium ac gravissimorum DD. suffragium, tum plures S. Rotae Romanae decisiones affert; ac alios tum Theologos tum Canonistas videre licet penes Schmalzgr. (l. c.) et Reiffenstuel (lib. 5. tit. 3. n. 278.), qui insuper diluunt rationes tum a gallicano Cabassutio, tum a plusquam gallicano Vanespen in proscripto suo opere obiectas.

(39) Quod inhabilitas restringi queat ad obtinendum *ea vice* beneficium, opinatus est etiam Schmalzgrueber (l. c. n. 268.). Verum, ut inquit Reiffenstuel (l. c. n. 266.), *licet in Cap. penult. De Electione videatur, simoniace obtinentem beneficium tantum ea vice esse inhabilem ad illud obtinendum, sicut et glossa... tenet; tamen post praefatam Constitutionem* (Pii V, incipit *Cum primum* 1. April. 1566.) *ob illius verba res est extra controversiam, quod perpetuo sit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, nisi Papa dispenset.*

Verba autem Pii V (Const. cit. §. 8.) haec sunt: *Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter ipso iure sit privatus, et ad fructuum omnium, quos perciperit, restitutionem teneatur, et PERPETUO sit inhabilis ad ea et quaecumque alia beneficia obtinenda.*

(40) De hac re Suarez (De Simon. lib. 4. cap. 58. n. 16.): *Ubi clare non constiterit, Constitutionem Pii V esse receptam in priori rigoroso sensu, existimo posse in praxi servari tuta conscientia opinionem Navarri, et non esse necessariam dispensationem ad alia beneficia, quando delictum non est ad forum contentiosum deductum et in eo declaratum.* Cui sententiae praeter alios adstipulantur Pirhing (lib. 5. tit. 3. n. 170.) et Reiffenstuel (lib. 5. tit. 3. n. 267.).

Quoad facultatem autem dispensandi ab inhabilitate obtinendi beneficium simoniace collatum, haec retinenda sunt.

1^o Si beneficium *simplex* sit, quod scilicet nullam vel iurisdictionem, vel administrationem, vel curam animarum, vel specialem praecminentiam adnexam habet

Resp. 4^o Poenae ob Simoniam confidentialem completam, id est quando beneficium datum et acceptum est in confidentiam etiamsi pactum ab altera parte nondum impletum fuerit (41) sunt.

1^o excommunicatio papalis; nam Constitutio *Apostolicae Sedis* excommunicationem Pontifici reservatam (n. 9.) statuit contra *reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis*: quibus verbis et Praelati maiores, non exclusis Cardinalibus: comprehenduntur (42).

(de quibus vid. Schmalzgr. lib. 3. tit. 5. n. 30-32.), sed ad summum ad meram assistentiam in choro vel ad altaris servitium obligat; et intercesserit simonia, beneficiario ignorante; potest Episcopus dispensare, ut hic beneficium retineat, seu melius ut illud de novo acquirere valeat, dummodo prius ipsum resignet. Est doctrina communis et certa ex cap. *Si alicuius* 59. *De Electione*. Nec admittendum videtur, quod addit Vallensis (apud Schmalzgr. h. tit. n. 268.), ne Episcopi quidem dispensatione opus esse; quae opinio merito neminem alium, ut videtur, sectatorem habuit.

2^o Immo eadem facultas Episcopo tribuenda est, quando beneficium sit quidem *duplex*, sed collatio eiusdem irrita non fuerit declarata *per sententiam*. Nam, eiusmodi accedente sententia, ad S. Pontificem pro dispensatione *saltem illa vice* recurrendum esset. Dicitur *illa vice*; quia si idem beneficium alteri prius conferatur, et iterum vacare contigerit, utique poterit illi conferri, qui simoniam ab altero in sua provisione commissam ignoraverat. Vid. Reiffenst. (lib. 5. tit. 3. num. 337.).

3^o Quando vero simoniam vel beneficiarius ipse, vel alius, eo non ignorante, commisit; certum est apud omnes, non posse Episcopum cum beneficiario dispensare, ut illud beneficium vel tunc vel alia vice acquirere valeat. Idque locum habet, etiamsi crimen sit occultum, uti constat, aliis omissis, ex declaratione S. Congr., quam ex Farinaccio sic refert Palaus (*De Simon.* punct. 28. n. 3.): *Episcopus etsi*

a simonia occulte absolvere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia imposterum obtinenda neque ad retinenda quae per occultam simoniam retinet. Reiffenst. l. c. n. 340.).

(41) Quoad *mediatores* tamen, uti superius dictum est, simonia non censetur completa, atque adeo poenae locum non habent, nisi traditio ex utraque parte saltem sit inchoata.

(42) Quoad hasce poenas apud plerisque auctores confusio aliqua irrepererat. Nam cum de hac re binae haberentur Constitutiones, altera nempe Pii IV (incip. *Romanum Pontificem* 16. Oct. 1564.), altera Pii V (incip. *Intolerabilis* 1. Jun. 1569.), alii primam tantum, alii tantum secundam noverunt, pauci vero utramque commemorantes rem exacte ex utraque definiebant, uti Schmalzgrueber (lib. 5. tit. 3. n. 270.).

Pius IV itaque Praelatos maiores, Cardinales nempe etiam Episcopos, Patriarchas, Episcopos, et Archiepiscopos interdicto ab ingressu ecclesiae multavit, reliquos vero excommunicatione latae sententiae punivit. *Cardinalibus videlicet* (inquit cit. *Const.* §. 4.) *et aliis Praelatis huiusmodi in virtute sanctae obedientiae et sub poena interdicti ingressus ecclesiae, reliquis vero sub maioris excommunicationis latae sententiae poena per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua nisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius prohibemus.* Pius V vero

2^o nullitas resignationis aut collationis factae in confidentiam;

3^o inhabilitas ad idem beneficium, et ad alia obtinenda;

4^o privatio beneficiorum et pensionum, quae legitime antea obtenta fuerint, post iudicis tamen sententiam (43);

5^o reservatio eiusdem beneficii ad Sedem apostolicam (44). — V. Schmalzgrueber, *ibid.* n. 270.

294. *Resolves.* — 1^o Non committit Simoniam, qui Reliquias cum Reliquiis permutat; quia sic non datur spirituale pro temporali. Idem dicendum est de caeteris rebus sacris, si excipias beneficia, quorum permutatio ne propria auctoritate fiat ab Ecclesia prohibitum est.

2^o Non committit Simoniam, qui vendit ceram benedictam, rosaria vel numismata, quibus adnexae sunt indulgentiae (45), vel sacras Reliquias

(*Const.* cit. §. 8.) in omnes huius criminis reos excommunicationis ipso facto incurrendae ac Romano Pontifici reservatae poenam tulit; ac die 14. Nov. eiusdem anni 1569 declaravit (quae declaratio eidem Constitutioni subiicitur in Bullario Romano), *omnes S. R. E. Cardinales in Constitutione et litteris praefatis ac singulis earum partibus etiam quoad privationes, omnesque et singulas censuras et poenas in ipsis contentas, comprehendit.*

Et ex his eruendus sensus verborum S. Alphonsi (lib. 3. n. 89.): *Per hanc simoniam..... incurruntur poenae*: 1^o *interdicti ab ingressu ecclesiae*, 2^o *excommunicatio papalis ipso facto*, 3^o *nullitas collationis, etc.*, nimirum omnes, quotquot hoc crimen committerent, excommunicationem papalem ipso facto incurrebant; maiores vero Praelati etiam interdicto ab ingressu ecclesiae plectebantur; neque enim Pii V verba aut maiores Praelatos poena excommunicationis eximi patiebantur, aut poenam in ipsos a Pio IV decretam demebant. Nunc vero vi novae Pii IX Constitutionis manet quidem poena excommunicationis easdem, ac Constitutio Pii V, personas complectens; poena tamen *interdicti ab ingressu Ecclesiae*, quam contra maiores Praelatos statuerat Pius IV, sublata est.

(43) Iudicis sententiam, saem criminis *Comp. Theol. Mor.* — Tom. I.

declaratoriam, requiri probat S. Alphonsus (lib. 3. n. 111. q. 3.) cum communi DD. sententia ex principio, quod *nimis rigidum est, ut reus poenas ex seipso exequatur, et bonis possessis se privet.* Ipse tamen dubitat an id valeat quoad examinatores beneficiorum parochialium; quippe sess. 24. cap. 18. Synod. Trid. edicitur, ut hi non possint absolvi, nisi *dimissis beneficiis*. Censent nihilominus alii, hanc poenam cum tanto rigore non esse receptam. Vid. Thesaur. *De Poenis Eccl. V. Simonia*, cap. 4. n. 1.

(44) Inspiciendum tamen est, an intercesserint concordata cum Sede Apostolica. Nam si in concordatis statuatur, extra menses papales *per nullam reservationem aut dispositionem in ipsis concordatis non contentam*, liberam collationem Ordinariis interdicti, tunc neque vi simoniae confidentialis haec reservatio locum habere censetur. Ita, v. gr. Sixtus V (*Const. Pastoralis officii* 13. Aug. 1587.) quoad Galliae regnum beneficia vacantia ratione confidentiae permisit liberae Ordinariorum collationi, dummodo collatores ipsi criminis participes aut consentientes non extitissent. Vid. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 273.).

(45) Pluribus tamen decretis S. Congreg. Indulg. interdictum est, ne rosaria, cruces aut numismata benedicta venditioni exponantur.

capsulis pretiosis inclusas, vel alia similia; quia haec non venduntur ratione rei sacrae, sed ratione pretii rei temporali adnexi; secus tamen, si propter rem ipsam sacram maiori pretio haec venderentur.

3^o Non committit Simoniam, qui pecuniam principi haeretico solvit, ne ab ingressu Ecclesiae seu a coetibus religiosis catholicorum frequentandis impediatur; aut malevolo homini, ne ab ipso iniuste diffametur et a beneficio, ad quod ius habet vel habere potest, arceatur. Ratio est, quia hoc modo non datur temporale pro iure spirituali, sed pro tollenda vel impedienda iniuria, quae est quid temporale (46).

4^o Non sunt de Simonia accusandi, qui gratis vel pro incompetenti mercede serviunt, ut hac occasione suam probitatem vel dexteritatem demonstrent cum spe aliquando obtinendi quodpiam beneficium; quia non expectant illud spirituale velut pretium laborum suorum — Elbel, n. 618.

295. — 5^o Nec sunt Simoniae culpabiles, qui ex gratitudine praestant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa (47). Sic non peccaret Cappellanus, qui servitia libentius tribueret Episcopo a quo beneficium obtinuit, nec Episcopus qui Clerico beneficium conferret in recognitionem obsequiorum; quia haec non praestantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est pro accepto obsequio se gratum exhibere. Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo gratitudinis lateat Simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi beneficium pro temporali obsequio, vel vice versa.

(46) Non quaevis conditio collationi rei spirituali adiuncta inducit simoniam, sed ea dumtaxat, quae novum onus affert seu novam obligationem iustitiae per modum commutationis. Non est ergo simonia, si dem spirituale, ut temporale obtineam, quod titulo iustitiae mihi debetur, sed per solam iniustitiam denegatur; itidemque si per collationem spiritualis velim avertere malum iniuste mihi inferendum; v. gr. ne debitor inique differat solutionem, aut ne creditum amittam, ne quis vitam aut famam meam inique laedat, etc.

(47) Hue alios casus revoca. Nam simonia non est (etsi peccari aliis de causis queat) beneficium conferre propter consanguinitatem, vel amicitiam, vel indigentiam alterius sublevandam, etsi hoc pacto quispiam se intendat eximere ab onere aut

consanguineum aut alterum eleemosynis sustentandi. Accipienti enim spirituale nequaquam onus imponitur quidpiam temporale ex pacto retribuendi.

Idem dicitur cum S. Alphonso (lib. 3. n. 59.), si cuiquam des temporale, ut aliquid spirituale hic in sui ipsius commodum praestet, v. gr. si munera adolescenti promittas, ut sacramenta frequentet, aut dotem puellae, si monasterium ingrediatur. Neque enim permutatio aliqua intercedit, quando spirituale simul et temporale uni cedunt. Nec obstat (contra ac putaverint Salmanticensis *De Simon.* cap. 1. n. 41. apud S. Alph. l. c.), quod per accidens in aliquam dantis quoque utilitatem id forte cedat. Neque enim hic rem spirituales accipit, ac proinde irreverentia rem spirituales aestimandi temporali pretio nulla adest.

6^o Esset autem Simonia ministeria sacra obire praecise ob pretium percipiendum tamquam tale, v. gr. accipere pecuniam pro absolutione a peccatis, a censuris, vel pro dispensatione in voto, iuramento, irregularitate, et impedimentis matrimonii; ratio, quia est actus spiritualis tum ratione principii seu potestatis spiritualis, tum ratione finis seu salutis animarum. Licite tamen accipitur pecunia occasione dispensationum (48), praesertim quando alia iusta causa non adest, titulo scilicet commutationis seu eleemosynae, vel sustentationis onerum Pontificatus, ad subveniendum Ecclesiae necessitatibus, v. gr. Templorum, Missionum, etc. vel ad alios pios usus, v. gr. ad pauperes sublevandos, ad nosocomia dotanda, ad expensas tribunalium, a quibus dispensationes conceduntur, etc.; stipendium enim congruum variis officialibus seu ministris ad causas expediendas adhibitis tribuendum est. — Caeterum S. Sedes ipsa in Brevibus statuit, quid pro variis dispensationibus tribuendum sit. — V. *Casus*, n. 285. et seq.

Quaesita. QUAER. 1^o *An sit restituenda res spiritualis simoniace acquisita?*

Resp. 1^o *Affirm.* quoad beneficia; ita communis et certa DD. sententia. Ratio, quia iura in poenam delicti obstant, quominus recipiens aut pretium aut beneficium possit dominium accepti acquirere. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso nec fructuum acquiri potest dominium, atque adeo hi quoque sunt restituendi (49).

Resp. 2^o *Neg.* quoad reliqua, licet iudex possit in poenam criminis restitutionem iniungere. Ita communis cum Schmalzgrueber lib. 5. tit. 3. n. 284. Ratio est, non modo quia quaedam restitui non possunt, v. gr. sacer ordo, sed etiam quia ut valida sit rei spiritualis, v. gr. SS. Reliquiarum translatio, iure divino non plus requiritur, quam potestas in altero transferendi, in altero recipiendi rei dominium; atqui, nisi *aliunde*

(48) Ita et S. Alphonsus (lib. 3. n. 96.) cuius tamen argumenta, a Salmanticensibus desumpta, minus idonea sunt. Allegat enim cap. *Iacobus 44. de Simonia*; sed in hoc mere interdicitur canonicis, ne a novo canonico prandium recipiant. Allegat Trident. sess. 24. cap. *Dicunt.* 6.; sed hoc mere statuit, ut Episcopi *gratis* a censuris absolvant, et dispensent in irregularitatibus occultis. Addunt Salmanticensis (Tr. 19. cap. 2. n. 37.) *Can. Ex multis* 9. *Caus.* 4. q. 3.; sed in eo nihil ad rem occurrat, sed agitur de beneficiorum collatione.

(49) Quidam eadem lege, ac beneficia, comprehendi censuerunt etiam *pensiones*, nec eas modo, quae *simpliciter spirituales* dicuntur, et clerico dantur ob spirituale ministerium, sed etiam *mixtas*, quae ex romanae Curiae stilo neque vendi neque etiam redimi sine apostolica dispensatione possunt. Verum cum iura (ut observat Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 285.) loquantur solum de beneficiis, non sunt, utpote in materia poenali atque adeo odiosa, ad aliud extendenda.

in alterutro sit defectus, haec potestas adest in utroque quoad rem spiritualem. Ergo. Si autem translatio valet iure divino, valebit etiam iure humano, cum ab hoc irritae, nisi fere solae provisiones beneficiales simoniacaе, non decernantur.

QUAER. 2^o *An restituendum sit pretium simoniace pro re spirituali acceptum?*

Resp. 1^o Si solum intercessit simoniae crimen, nulla vero iustitiae laesio, non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam iudicis sententiam (50), nisi ipsum pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transfertur. Ita Suarez, Lessius, Laymann, Reiffenstuel apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 286. (51).

Resp. 2^o Ubi vero pactum simoniacum repugnet etiam iustitiae commutativae, pretium restituendum est ante omnem iudicis sententiam. Ita *Communis*. Ratio est, quia ex iustitiae commutativae laesione obligatio restituendi ipso naturae iure exurgit (52).

(50) Intelligi, *excepta materia beneficii*, in qua datum et acceptum ante omnem sententiam iudicis in foro conscientiae restituendum est, non quidem iure naturali, sed tantum ecclesiastico ex cap. *De hoc 11. h. tit.* Ratio est, quia iura tam beneficium quam pretium accipientem impediunt, quominus dominium accepti acquirere possit, idque in poenam tam gravis delicti (Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 283.).

Quoad alias materias, doctrinae Auctoris non obstat cap. *Pactiones fin. De Pactis*, ubi Gregorius IX. quamlibet pactionem simoniacam declarat esse irritam. Restrungi enim ea dispositio debet ad materiam beneficalem; vel etiam dici potest, verba Gregorii accipienda esse de obligatione implendi simoniacam pactionem, quae certe nulla est; ex quo tamen non sequitur, pretium esse restituendum; perinde scilicet ac loqui solent DD. de contractu rei turpis, et de pretio post factum turpe accepto.

(51) Haec de causa simoniae quidem reus est, sed ad pretium restituendum non tenebitur (ante iudicis sententiam) quisquis contra ecclesiasticas leges 1^o vendat tem-

porale Ecclesiae officium, v. gr. oeconomii, custodis, etc.; 2^o qui pretio valorem materiae non excedente vendat oleum sacrum, chrisma, aliaque eiusmodi; 3^o qui pecuniam recipiat pro admissione alicuius in Religionem; 4^o qui contra specialem prohibitionem, titulo tamen stipendii ad sustentationem, pecuniam pro functione spirituali accipiat; 5^o qui stipendium alioqui lege non interdictum accipiat tamquam functionis spiritualis, v. gr. sacrificii pretium, etc.; 6^o Ex eadem ratione, ut inquit Schmalzgr., ad pretii restitutionem, iure solum naturali spectato, non obligatur etiam is, qui beneficium suum vendit alteri, non quidem eius dominium, sed rei beneficiariae commodum in alterum transferens: in quo etsi simoniam committat, non tamen peccat contra iustitiam. Vid. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 287-291.).

(52) Proinde ad pretium restituendum tenetur 1^o qui pretium accipit pro re mere spirituali, quae nullum commodum temporale affert; quippe rei, quae pretio non est aestimabilis, nullum est pretium, atque adeo contra iustitiam pretium pro ipsa accipitur; 2^o qui pretium accipit pro re spirituali, etiamsi haec commodum tem-

QUAER. 3^o *Cui restituendum sit pretium simoniacum?*

Resp. 1^o Si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis, communis sententia docet, pretium illi restituendum esse, qui dedit, nisi aliter iudex decreverit. Ratio est, quia iura solum contra simoniam realem poenas statuunt.

Resp. 2^o Si vero utrinque sequuta sit traditio, distinguenda a reliquis est causa beneficialis. In hac enim simoniacum pretium ex Cap. *De hoc 11. De Simonia* restituendum est Ecclesiae, in qua situm beneficium est, vel, si superior velit, potest pauperibus distribui, ut advertit S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. (53).

Quoad pretium vero pro alia re spirituali acceptum, cum nihil iure clare decretum reperiamus, superest ut ei restituatur, qui illud persolvit. Ratio est, quia *per se et lege seu superiore aliud non statuente*, ubi iniusta acceptio intervenit, restitutio facienda illi est, qui laesus fuit. Atqui in casu laesus ille fuit, qui dedit pretium. Ergo, etc. Proinde si is, qui simoniacum pretium solvit, gratuito solum remittat, ille, qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis poenam Ecclesiae vel pauperibus illud erogare per iudicem iubeatur. Vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 297., qui dein n. 298-301. hanc doctrinam ab obiectis vindicat (54).

porale afferat, quam tamen quispiam, v. gr. parochus ex officio et iustitia praestare tenetur; 3^o Episcopus seu Praelatus, qui vendat beneficia vel officia ecclesiastica, quorum collatio ad ipsum vi muneris sui spectet; quippe ex officio suo dispensare ea gratis debet, adeoque accipiens pretium contra iustitiam peccat. Vid. Schmalzgr. (l. c. n. 293-295.).

(53) Recte tamen cum pluribus aliis Theologis et Canonistis monet Reiffenstuel (lib. 5. tit. 3. n. 296.) ante sententiam, quae pretium Ecclesiae aut pauperibus restituendum praecipiat, posse hoc illi reddi, qui dedit. Neque obstat allegatum cap. *De hoc*; ut enim advertit Schmalzgr.

(h. t. n. 304.), hoc unum ex illo inferitur, *acceptam pecuniam sine gravi salutis periculo retineri non posse*.

(54) Ex his patet, Salmanticenses (apud S. Alphons. lib. 3. n. 115.) minus concinne de his disputasse, dum nulla inter causas plane diversas distinctione facta, generatim dicunt, tres de hac re adesse sententias, easque probabiles, quarum una pretium illi, qui solvit, restituendum velit, altera Ecclesiae, tertia vero pauperibus. Ad haec Lessium qui stat pro tertia, allegatum pro prima, Suarium vero, qui certe pugnat pro prima, citatum pro secunda apud eundem S. Alphonsum cernere est.